



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Capvt LII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

CAPVT LII.

*Rassonis Comitum Diessensis monasterium, vulgò
zu S. Grafrath.*

ANno 904. Rasso Comes ex Andecensi familia, Dux boiarici regni limitis Orientalis, vir nobilis & strenuus, cœnobium in honore Saluatoris omnium Vverde, iuxta Amperam construxit, in pede sui castri Razenberge, & illic monachos collocavit: quod etiam S. Vdalricus Episcopus consecrauit. In hac Ecclesia Comes iste functus vita sepultus requiescit, ad cuius tumulum signa fuerunt edita.

954.

Hæc Ecclesia postea ab hostibus Ecclesiarum penitus deuastata est. defuncto Comite Rassone, successit Fridericus Comes, frater ipsius, armis strenuus, qui ad sanctam terram iter faciens obiit, ibique sepultus est, alius verò ac tertius Fridericus, dictus Roch, apud S. Blasium, sepultus est in nigra silua, secundum Ioannem Auentinum.

Eberspergensse monasterium, vulgò Ebersperg.

EBersperg castrum olim inter Oenum & Senonas, nunc Sempta amnes fitum in silua, quam Ioannes Auentinus lib. 4. Corno dunensem olim appellatam dicit, nunc Eber-

spergensis vocatur à Sighardo, Comite de Sempta, aduersus Vngarorum irruptiones, admonentibus sacris viribus, Conrado de Hevva ex Hegouia, & Gebhardo Argentinensi, sanctissimis ac facundissimis eius temporis viris, conditur. Ab apro, quem ibi inuenit, Ebersperg nomen accepit, circa annum 900. Eberhardus & Adalbero, Comites de Sempta, nepotes Sighardi ex Ratholdo filio, post bellum Vngaricum, cui anno Domini 955. interfuere cum sorore Vvilpriga templum D. Sebastiano in arce sua Ebersperg construxerunt, anno Domini 970. Ipsi paucis post diebus mortui sunt, & hæc sunt principia huius monasterij.

Ulricus, filius Adalberonis, cum coniuge sua Richarda, sorore Marquardi, Carinthiæ Marchionis, Eberspergij collegium pro monachis Augustinianis instituerunt, ipsa obiit 1013. ipse 1019. ambo ibidem sepulti.

Adalbero tertius, filius Ulrici, cum coniuge Richildi, sorore Vvelphonis tertij, Ducis Carinthiæ, cum liberis carerent, Ebersperg, arcem in ædem D. Benedicti commutauerunt tradideruntque monachis inter alia Peffenhausen. Item in Austria Posenboig, & Ibs, quæ cum monasterio longius sita essent, longo post tempore, nempe anno 1180. Ducibus Austriæ, pro commodioribus ac propinquioribus prædijs data & commutata sunt.

Fundationem seu institutionem huius monasterij per Adalberonem tertium cum coniuge

255.

iuge factam, Henricus tertius Imperator, & idem Dux Boiorum confirmavit anno 1040.

Idem quoque Adalbero comes monasterium Beurn ad radices Alpium, in superiori Bavaria situm, ab Ungaris vastatum, cuius curator seu Aduocatus erat refecit, ac eiectis Augustinianis, Benedictinis monachis reddidit, ac duodecim monachos Tegernseenses eò transtulit. Obiêre isti coniuges fundatores eodem anno, nempe 1045. atque in his defecit nobilissima hæc familia Comitum à Sempta & Ebersperg.

CAPVT LIII.

VVALCIODORENSE

Monasterium, vulgò Vuasor, ad Mosam fl. inter Dionantum & Giuetum opida.

SANCTUS Eloquius Abbas & Confessor ex Hibernia in Galliam circa annum Christi sexcentimum quinquagesimum veniens, cum S. Furseo Latiniacum struxit monasterium, ibidemque sanctissime vixit. Itaque B. Furseus ad Christum migraturus, monasterij curam B. Eloquio reliquit. At cum postea discipulorum suorum animos inique in se concitatos Eloquius intelligeret, cum paucis fratribus Grimacum ad Isaram secessit, vitam ducturus eremiticam. Cumque S. Eligio Nouiomensi Episcopo sincera eius re-

An. 165.